

BX 1756

F3

CG

V.4



Capilla Alfonsina
FONDO EN METERIO VALVERDE Y TELLEZ



FONDO EN METERIO
VALVERDE Y TELLEZ

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. Luc. XVI.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco : scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo? At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam, et sede cito, scribe quinquaginta. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait ille : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego dico vobis : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.

CONCIONES.

- I. Avarus maximus dissipator.
- II. Prodigii taxantur.
- III. Bona Dei quinam dissipent.
- IV. Qua ratione oporteat uti donis Dei.
- V. Furtum et omne lucrum iniquum quantopere aver-
sandum.
- VI. Circa menducium peccata multiplicia.
- VII. Mira filiorum hujus sæculi prudentia, sed cas-
tigata.
- VIII. Incitamenta ad faciendam eleemosynam et
quomocumque misericordiam.

- IX. Incitamenta ad ornatum templorum promovendum.
- X. Documenta.
- XI. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Veræ prudentiæ dictamina, a villico iniquitatis
accepta.
- II. Prudentia carnalis, seu filiorum hujus sæculi,
qualis.
- III. Eleemosynam dandi modus et industria.
- IV. Tria satisfactionis opera nonnihil facilitantur.
- V. Divitiarum cur mammona iniquitatis appellata.

CONCIO I.

AVARUS MAXIMUS DISSIPATOR.

- I. Dissipat bona fortunæ. — II. Dissipat bona corpo-
ris. — III. Dissipat bona animi, naturalia et moralia.
— IV. Dissipat bona supernaturalia.

THEMA.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset
bona ipsius. Luc. XVI.

Posset aliquis inquirere, qua ratione et qua
via dissipavit villicus iste bona domini sui, quan-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

doquidem repente sine cognitione causæ a villi-
catione amovetur. Num forte dissipavit bona
domini per superbiam et pompam? Num forte
per lasciviam, dando meretricibus? Num per gu-
lam, epulando splendide, et convivia instituendo?
Num per lites et jurgia? An verò per otium et
pigritiam? Num per aliam prodigalitatem? Ego,
auditores, nullum horum arbitror : sed per me-
ram avaritiam dissipasse bona reor. Hoc enim
colligi ex eo potest, quod donando debita debi-
toribus domini sui, non reprehensus est, sed
laudem potius promeruit, deinde quia Dominus
monet, ut liberaliter expendamus bona sua :

008681

Facite vobis amicos, etc. Itaque a contrario, per avaritiam, nimis avare retinendo bona domini sui, ea dissipavit. Sed quod istud paradoxum? Itane vero avaritia dissipat, prodigalitas vero bene dispensat? Ita omnino: nullum enim arbitror vitium, quod magis prodigat bona Dei, quam avaritiam, ut videbimus.

I. Dissipat primo, bona fortunæ seu divitias, eo vel maxime quo abscondit et conservat. Et primo quidem, quia steriles facit et otiosas, quas fecundas et lucrosas habere posset. Annon tibi hoc est dissipare? Qui filium præclaro ingenio non applicat ad studia, sed otio vacare sinit; qui equum robustum et egregium in stabulo semper retinet, nonne tibi isti perdere illos videntur? Atqui hoc avarus agit, qui opes recondit, nec ad laudabiles usus impendit et communicat egentibus; steriles enim et inutiles sibi et aliis reddit opes suas. Joannes Moschus, in prato spirituali, c. LXXXV. refert, in monasterio S. Theodosii, moris fuisse, ut in die Dominicæ cœnæ annuatim pauperibus certa tritici, olei, mellis, ac vini mensura distribueretur. Cum autem quodam tempore magna esset frumenti caritas, rogavere abbatem monachi, ut solitam differret, vel saltem immineret tritici mensuram, ne forte ipsi ob frumenti inopiam, fame periclitarentur. Ille etsi ægre, tamen ad ipsorum instantiam, id fieri permisit. Verum post pascha, is, qui horreis præerat, reperit triticum omne germinasse, adeo ut abbas fratribus diceret: « Ecce exiguo frumento potuissemus inopum succurrere inopia, nunc vero quinque fere millia modiorum tritici, tenacitate nostra, perdidimus. Quid lucrati sumus filii? Quantum nobis ipsis nocuimus? » Audi Eccles. c. XX. *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus*, inquit, *quæ utilitas in utrisque?*

Dionysius senior cum quemdam e civibus accepisset aurum domi defossum habere, ad se deferri jussit: sed cum is exigua parte detracta in alienam migrasset urbem, agrumque emisset, illum accersivit, totumque accipere jussit, utpote qui divitiis uti didicisset, neque utile inutile redderet, Plut. in reg. apophthegm. Quare sicut perdit instrumentum, qui eo non utitur, miles gladium, scriba calamum, pictor penicillum; sic qui opibus non utitur, et quidem ad sola virtutis opera: quidquid enim præter ista opibus tibi pepereris, nihil aut exiguum erit. Indulgebis forte deliciis, pompis, voluptatibus; sed hæc bona sunt fluxa, illusoria, caduca, in quibus plus fellis, quam mellis. Honores tibi comparabis: sed apud stultos, credo, qui virtutibus mercedem pretio distribuunt. Vitam fovebis cibo, potu, vestibus: sed vitam communem cum pecoribus.

Secundo, quia aliis invidet quibus utiles forent, et ita quodammodo rapit. Annon dissipat cornua sua cervus, qui cum ea abjicere cogatur, hominibus tamen invidet et abscondit, dextrum præsertim, ne medicamenti vis aliis prosit: quod scribit Aristoteles, l. IX. de natura animal. c. V. et Plin. l. VIII. c. III. Hinc Thomas Morus avaros vocabat *canes in præsepio*: qui et ipsi non comedunt de feno, et equum comedere non sinunt. Ipsi enim opibus suis parcissime utuntur et aliis usum negant. Annon dissipat ille panem et vinum, quæ cum nequeat sumere, sinit perire in penu? Vel qui vestes aut frumentum, quia aliis ea invidet, tineis potius et vermibus depabulanda relinquit?

Tertio, quia illis reponit, qui eas aliquando diripient, nec quidquam gratiarum repositori agent. Eo itaque loco reponit, ubi tinea demolietur, ubi ærugo depascet et denique mors ipsa cuncta tollet. Taceo quod sæpenumero a iudicibus, advocatis et lictoribus, quandoque etiam a carnificibus diripiuntur, Deo sic eos justissime puniente. Quemadmodum enim arbores in præruptis et inviis locis fructum ferentes, non hominibus sed corvis ferunt: sic avarus sæpe lictoribus et causidicis thesaurizat. Augustus imp. vocabat suos officiales *spongias*, quas cum impletæ essent opibus, ipse exprimeret. Sic fere agit cum avaris Deus; per manus enim terrenorum principum et magistratum exprimit ab illis, quod nequiter suxerunt. Unde bene avaro illi volenti ædificare horrea et frui bonis suis dixit Deus: *Stulte, hac nocte repetunt a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt?* Luc. XII. Dicit quidem avarus: *Mea erunt, vel meorum.* Sed sæpissime decipitur: quod uno exemplo docebimus, ex Stobæo, serm. XVII. Fama est, quod cum vidisset quidam alterum argenti multum ferre, rogaverit eum ut sibi mutuo daret, cum fenore reddendum. Ille vero noluit, ut qui diffideret omnibus, sed argentum recondidit. Et cum animadvertisset quidam quid egisset, suffuratus est. Reversus igitur ille postea, qui pecuniam absconderat nihil invenit, unde magno dolore motus est ob calamitatem, tum alias, tum quia non mutuo dederat pecuniam, quæ et salva mansisset et insuper attulisset fœnus, cumque incidisset in virum cui mutuare noluerat, infortunium suum deploravit. Ille autem bono animo ipsum esse jussit atque existimare, lapidem in eodem loco a se depositum fuisse: *Omnino enim, dicebat, ne cum habebas quidem argentum, eo utebaris; quamobrem etiam nunc ne putaveris te ulla re privari.* Ad hunc modum digni sunt avari, qui pecuniis spoliuntur, quandoquidem eis quas non habent: juxta id Domini

apud Matth. XIII. *Qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.* Sic enim habet, quasi non habeat, quia tam ipsi deest, si habeat, quam si non habeat.

II. Dissipat bona corporis, sanitatem, robur, speciem, et quandoque vitam; siquidem avarus ob pecuniæ amorem, sibi cibum potumque detrahit aut minuit vitæ congruentem aut etiam necessarium. Sic Chius ille apud Plut. deteriora vina tantum bibebat. Avarus quando æger est, nihil aut exiguum impendit in medicos, vult potius mori quam pro consilio aut medicamentis aliquid expendere. Unde Ecclesiast. cap. X. ait: *Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet: quoniam in vita sua projecit intima sua.* Vult dicere: Tam iniquus est avarus ut pluris faciat pecuniam quam propria viscera: et ne eam expendat, sinat hæc fame torqueri aut morbo perire. Hoc igitur non est dissipare, negligere, imo abjicere corpus et vitam propter pecuniam? Nemo abnuerit peccare in corpus suum moriones, qui verbera acceptant pro pacta sibi pecuniola: quis autem non videt, hoc facere avaros? Refert P. Pontan. Attbell. syntag. I. de avaro, qui cum ex hæreditatibus ædes villas facultatesque multis millibus æstimatas acquisisset, essetque ære alieno plane liber, nihilominus domi suæ tam parce ac duriter vivebat, ut nunquam ad satietatem comederet: verumtamen in mensa aliena dentes exercere et ambabus malis expletis vorare egregie noverat. Idem equum sibi emerat, qui cum noctu ederet, ille dum cubat in cubiculo exaudiens, quid sit hoc ab uxore quærit. Respondet equum esse qui pro natura nocte appetentius et largius edere consueverit: sciscitatur num id omnes equi et semper soleant, et illa: *Omnes et semper.* Tum vir: *Valeat equus; nam si et noctu, ut interdum pasci vult, unde mihi tanta pabuli copia? Vendam, etsi dimidio minoris, quam stetit.* Unde patet avarum, non solum proprium, sed brutorum etiam ventres deo suo immolare. Experientur id etiam multoties domestici, quorum stomachi sæpe murmurant, ob dominorum ac dominarum avaritiam, atque ita vendit avarus etiam ventres alienos pro pecunia. Verum omnium maxime dolendum est, quod aliquando avaritia eo propellat hominem, ut animam suam diabolo imolet, seque ipsum occidat, quod sæpius evenit, et in Juda proditore cernere est, qui sane triginta argenteis vendidit animam suam diabolo: *Et projecit intima sua, quando suspensus crepuit mediis et effusa sunt omnia viscera ejus.* Hujus exemplum multi secuti sunt avari, qui licet adhuc opibus abundarent, persuasi tamen

ab avaritia quasi omnibus bonis exuti essent, seipsos peremerunt. O sacrificium diabolicum! Annon clamat Christus: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

III. Dissipat bona animi, tam naturalia quam moralia. Naturalia quidem, intellectum, voluntatem, memoriam, sensus exteriores ac vires alias, quas in studio avaritiæ nunquam non occupat et exercet; cum tamen eas homini Deus idcirco dederit, ut cœlestia indaget, et in illis acquirendis sese occupet. Quod de elephante scribit Pierius, l. II. hierogl. præstantissimis et eburneis suis dentibus rimari eum sordes et fodere radices: hoc idem facit avarus, qui nobilissimis animi facultatibus sordes divitiarum rimatur, et fodit terræ glebas, vel uti porcus semper ad terram inclinatum gerens caput ad sordes perscrutandas, qui si forte aliquando sursum oculos elevet, illico obstupescit attonitus. Nonne hoc est dissipare bona animi, intellectum et memoriam semper occupare in artibus lucrandi, in pecuniis numerandis, in computo faciendis? Voluntatem in iisdem adamandis? Linguam, oculos, aures, manus in tractandis? Araneæ opus est telam texere ad muscarum capturam: hominem autem sese eviscerare et diu noctuque cogitare quomodo vanissimum aucupetur lucrum: quam hoc indignum est? Possent dicere avari: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, Ps. LXXXIX. De iisdem Isaias, c. LIX. ait: *Telas araneæ texerunt: subditque: Telæ eorum non erunt in vestimentum neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia.* Hoc igitur non erit dissipare bona animi, applicari ea ad consectanda vilia et inutilia? Alere præstantes falcones ad capiendos passeris?

Moralia vero qualia sunt, animi tranquillitas, fama, amicitia, etc. Quietem animi dissipat quia cruciatur curis assiduis augendi opes, acquirendi et conservandi: ob quam rem Dominus spinis comparavit divitias, Luc. VIII. et princeps quidam (ut refert Chavass. l. III. de prud. c. III.) cum improbis subditis suis magnam et longam creare vellet molestiam, divites eos fecit, idque ostendit fabula Æsopi de mure urbano et rustico. Urbanus enim in rus deambulans a rustico mure exceptus est convivio: sed cum grossiora apponerentur, fastidire urbanus et rusticum secum ducere convivioque adhibere, utique lautiori. Sed cum interim in sera audiretur murmur clavis trepidare illi et fugere: rusticus loci ignarus ægre se teneri. Qui vix iterum prorepens cum intelligeret quotidianum esse hoc periculum:

Mehercule, inquit, istæ dapes plus fellis quam mellis habent: equidem malo cum securitate meam inopiam, quam cum tali anxietate istam copiam. Hinc avari fere semper tetrici sunt et tristes. Quemadmodum sutor ille (ut refert Maiotus, t. II. canic. coll. VII.) quem dives postico habitantem et animo curis vacuo dulces cantilenas quotidie modulantem magna pecuniæ summa ditarat; accepta enim pecunia omnis lætitiæ oblitus est et cantus.

Libertatem dissipat, quia non est illi liberum, vacare suæ quieti, comedere et vestire honeste, recreare egentem elemosyna: cogitur vigilare, laborare, navigare, esurire, etc. Unde ab apostolo avaritia vocatur *idolorum servitus*. Quod si liberum se putat avarus; tentet, probet: det aliquando largam pauperibus elemosynam, adornet templum aliquo cultu, leget aliquid hospitali, edat et bibat lautius, invitet quandoque vicinos, vel Christi pauperes.

Famam, quia passim male audit, et si forte occurrant oculis prædia illius, ædificia, horti, etc. dicitur: Hæc omnia dives iste ex pauperum sudore acquisivit et extruxit. Item. Ratio quia sordida et vilis res est sectari avaritiam, hominem ad solida bona natum.

Amicitiam, quia homines pene omnes sibi infensos reddit, quod non expendat, sed potius capilet et sua abscondat. Unde Prov. XI. dicitur: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.*

IV. Dissipat bona supernaturalia: gratiam et merita salutis, salutem ipsam, ac si ita loqui fas est, Deum. Nam imprimis labores suos aliis mancipat, sibi nihil laborat. Velut si quis per errorem aliorum ægros coluisset, suos neglexisset. Sic parentes fere solliciti sunt, quomodo thesaurizent filiis, sibi interim de bonis operibus non provident. Secundo, talentum divitiarum sibi a Deo creditum fodit in terram, quo centuplum sibi parare usuram potuisset, si ad mensam pauperum ponere voluisset. Dissipat itaque centuplum, quod culpa sua negligit. Dissipat æterna tabernacula, quæ in cælo sibi acquirere facili pretio potuisset, uti hodiernum evangelium docet. Annon perdit suam salutem, qui paratum habens remedium eo non utitur? Orygem perpetuo sitientem habet Africa, et post cursum præ sibi facile morientem; quod tamen animal liquorem habet in vesica magni contra sitim remedii, apud Plin. l. XV. c. LXXIII. et alios. Oryges sunt avari, qui cum intra se habeant medium consequendæ salutis, a salute tamen excidunt quia medio illo non utuntur ad salutem comparandam. O avari, ecce *regnum Dei intra vos est*: quod dixerat Phariseis Dominus, Luc. XVII. et qui

illud perditis? Denique, Deum ipsum, summum et incomparabile bonum quodammodo dissipat, quia pro modico lucro et mammona commutat, dum pejerat, fraudes et dolos adhibet, vel etiam vim; atque ita Deum vendit, quomodo Judas triginta vendidit argenteis. Judæi vero occiderunt, ne venirent Romani et tollerent eorum locum et gentem. Sed quemadmodum Judæi temporalia perdere timuerunt, non Deum, ac sic utrumque amiserunt: sic eveniet etiam avaris. Quid igitur tandem sibi acquirit avarus? Num omnia omnino dissipat? Imo non omnia, sed thesaurizat sibi iram in die iræ; textit enim sibi laqueos, quibus illaqueatur; quia apostolo teste: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli*: comportant sibi ligna ad instar phœnicis, quibus urantur in inferno. Refert Plut. M. Crasso pecuniarum cupidissimo (qui dicere solebat, neminem divitem existimari debere qui propriis facultatibus exercitum alere non posset) a Parthis, qui eum bello vicerant, liquefactum aurum in os infusum fuisse cum hac exprobratione: *Aurum sitisti: aurum bibe*, Florus, hist. l. III. c. XI. Hoc fiet avaris in inferno: hic fructus erit laborum. Audi Jacobum, c. V. *Agite nunc divites*, inquit, *plorate ululantes in miseris vestris quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Hoc ergo non est dissipare substantiam suam, parare sibi extremam tot laboribus miseriam?

CONCIO II.

PRODIGIUS TAXATUR.

I. Prodigit bona sua. — II. Prodigit aliena. — III. Prodigit famam suam. — IV. Prodigit animam et salutem.

THEMA.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. XVI.

Duos aliquando scelerosos sese invicem accusasse, cognoscente causam Philippo Macedonum rege, scribit Plut. in apophth. Rex audita causa pronuntiavit, ut alter exularet Macedonia, alter illum insequeretur. Neutrum ergo absolvit, sed utrumque pari pœna multavit. Hujusmodi duo socii, sunt prodigus et avarus, secum contententes, uter altero sit melior, cum neuter bonus sit. Audiamus contentionem. Genuensis quidam

egregius decoctor et prodigus erat. Cui cum fenerator avarissimus diceret: *Quando totidem facultates tuas profundere et abligurire desines?* Occurrit ille: *Quando tu furari desines alienas?* Pont. in Att. bell. p. III. synt. III. Rursum quispiam profusus nepos, cum feneratores per sarcasum diceret beatos, qui dormiendo rem suam auferent; audiit vicissim: *Et tu miser qui rem tuam vigilando minuis*, ibid. Audivimus contentionem. Quid hic pronuntiarum aliquando putamus judicem Deum? Nonne quod Philippus dixit, ut alter exulet ad inferos, alter illum insequatur? Ita sentio; nihilo enim melior videtur prodigus, qui sua perdit, quam avarus, qui aliena rapit; pari ergo exilio mulctandi. Avarum alias mulctavimus, mulctemus nunc et prodigum.

I. Dissipator prodigit primo, bona sua, et incidit in paupertatem, ita ut tandem cogatur vel fodere vel mendicare. Quid enim mirum, eum aliquando egere, qui abjecit sua? Hinc privatur villicatione et muneribus suis, hinc sero sapere et dicere incipit: *Quid faciam?* Exemplo est prodigus filius, qui cum dissipasset substantiam suam vivendo luxuriose, postea cepit egere et porcorum pastor factus, siliquas esuriebat, Luc. XV. Bene vero de siliquis cupiebat implere ventrem, siliquæ enim significant folliculos leguminum, veluti fabarum, cicerum, lentium. Has olim prodigus abiciebat, nucleum tantum seligens: postea colligebat, et avidè comedeat. Ita nimirum prodigi, cum sua dilapidarunt, postea requirunt, quæ prius aspernabantur: cerevisiam dilaudant, qui prius vinum expuebant: in stramine molli ter cubant, qui prius ægre in plumis cubabant juxta id Job. VI. *Quæ prius volebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Idem urbano joco præagit Diogenes prodigo cuidam, a quo petebat mnam. Ille miratus impudentem petitionem, quæsit: Cur tu, eum ab aliis obolum petere soleas, a me mnam petis? Quia, inquit ille ab aliis iterum me accepturum spero, a te an in posterum aliquid accepturus sim, dii norunt, Laert. l. VI. Significavit enim ei imminere periculum, ne brevi eo redigatur, ut ne obolum dare queat. Idem divitem prodigum contemplatus olivas edentem, et aquam bibentem: Si sic prandisses, inquit, non sic cœnares, Anton. Mel. et Max. serm. de prodigal. C. Caligula imp. ob sumptus citra modum factos, non habuit, unde filiam dotaret, cum ante super incensos aureorum acervos patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spatari, totoque corpore se volutare solitus fuisset, Sueton. Denique frustra impenditur, quidquid prodigis impenditur. Hinc dicebat Seneca, l. de consol. c. XI. *Necessariiis*

rebus exilia sufficiunt, supervacaneis ne regna quidem. Salse et urbane rex Alphonsus equiti cuidam prodigo et importune crebroque poscenti munera respondit: *Si pergam tibi dare, quæ petis, citius me pauperem effecero, quam te divitem.* Pannon. l. II. de reb. gest. Alphonsi. Quare profusos homines cisternæ ruinosæ comparabat Diogenes quam ut nullus implet imber, sic eorum nulli quantumvis magni proventus exsant, Plut. in vita.

Igitur qui ditari cupit fœnus a seipso (quod suasit Æschini Socrates) sumat per parcimoniam. Nam ut Mecenas monuit Augustum: *Magnæ opes non tam capiendæ quam non multa perdendo quæruntur*, apud Dion. l. LII.

II. Prodigit bona aliena. Primo, quia quæ pauperibus dari deberet, profundit in improbos scurras, mimos, moriones, ludos et ludiones, luxum et luxuriam, etc. Quare Diogenes tales, qui per luxum in coquos, nepotes, scorta et adultores facultates suas profundent, similes dicebat arboribus, per præcipitia nascentibus, quarum fructus non gustaret homo et transiens viator, sed corvi et vultures, Laert. l. VI. de vitis philosoph. Tales illi optimates de quibus dicitur Amos VI. *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Inde Sodomitæ in pauperes facti sunt crudeles, teste Ezechiele, c. XVI. *Hæc inquit, fuit iniquitas Sodomæ: superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus: et manum (en effectum luxus) egeno et pauperi non porrigebant.* Putabant enim suo ventri et luxui decessurum id, quod in pauperes expendissent. Ita videmus etiamnum optimates et magistratus, qui sua quærunt, suo genio indulgent, suis commodis student, ærarium in convivia expendunt, dies in epulis transigunt, rem pauperum et populi negligere, jura habere vœnalia, muneribus justitiam vendere, pauperes opprimere, atque, ut verbo dicam, remperdere, imo hosti, si is eam emere velit, prodere. Ita olim de Roma luxu diffluente, dixit Jugurtha, ait Bruson, l. I. c. I. *O urbem vœnalem et cito perituram si emptorem invenerit!* Quæ, ut verissime scripsit P. Corn. a Lapid. in dictum locum Amos, ita ipsius verbis recenseri volui.

Secundo, quia a multis multa mutuatur, quæ nunquam restituit, nec si vellet, restituere potest, rursus dum sua abligurit, reip. prodesse tempore necessitatis non potest. Hinc egregius ille doctor, Thomas Bricotus, facultatis theol. Parisiensis quondam decanus, Franciscum I. Galliarum regem admodum liberalem, in ejus inauguratione, monebat, nequaquam expedire, ipsum

manus semper usquequaquam habere perfossas (ad instar S. Francisci) et patulas; sed interdum opus esse cavas manus obstruere suisque donationibus, sumptibus et expensis modum adhibere: fore alioquin, ut in suo regno multo plures in paupertatem adduceret, quam fecerat olim D. Franciscus in orbe christiano, non quidem spontaneam ut ille, sed involuntariam et exosam, Joan. Mich. in anat. corp. pol.

Tertio, quia sæpe aleam rapit, ut habeat, quod profundat; ut fere solent nobiles, qui cum grandi aere alieno premantur, plurimaque in suos liberos, servos, vestes, ludos, canes, equos, etc. profundant, subditos suos oneribus et exactionibus premunt, ac propemodum excoriant. Ita dissipator noster, de quo in hodierno evangelio, cum videret domino suo se factum obæratum ex sua profusione, convertit se ad fraudes, et res domini sui donat ejus debitoribus. Ita Nero imp. effusis opibus conversus est ad rapinas, et verissimum esse docuit, quod olim Timotheus exprobravit Aristophonti: *Cui nihil satis est, ei nihil turpe est.* Templis enim compluribus dona detraxit, et simulacra ex auro vel argento fabricata conflagavit, itaque nec diis suis peperit. Hinc hostis a senatu declaratus, et tandem ab omnibus destitutus est, Suet. c. XXX.

III. Prodigit famam suam. Audimus enim in hodierno evangelio, dissipatorem illum diffamatum esse apud dominum suum. Sed qua in re prodigi diffamantur? Primo, vocantur rerum decoctores, gurgites et charybdes, quibus proinde nihil tuto credi, et a quibus nil recuperari possit. Si enim talibus mutuum quid des aut beneficium aliud conferas, dicimus: Et quemadmodum nautæ summo studio vitant gurgites et charybdes: ita vitant homines vendere, mutuare et benefacere prodigis. Taceo scommata, quæ in tales passim jactantur.

Secundo, vocantur reipublicæ noxæ et pestes, quemadmodum Heliogabalus imper. orbis monstrum, de quo hæc Lampridius: « Hic solido argento factos habuit lectos, et triclinares et cubiculares, comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum et cristas vivis gallinæis demptas, linguas pavonum et lusciniarum: quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur, etc. canes jecinoribus anserum pavit. » Persimile monstrum Cl. Nero imp. fuit, de quo Sueton, c. XXX. inquit: « Nullam vestem bis induit. Quadrigenis in punctum sestertiis aleam lusit. Piscatus est reti aurato purpura coccoque funibus nexis. Nunquam caruecis minus mille fecisse iter traditur soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus armillata et phalerata cum hama-

xicerum turba atque cursorum. » Non minus culpandus Aurelianus imp. quam ejus, quem alebat, gurges, orco demandandus de quo hæc Victor: « Miro modo nimis delectabatur: vehementissime autem delectatus est phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum centum panes, vervecem et porcillum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. » Nero tam spatiosum et magnificentum palatium sibi Romæ (dirutis plurimorum ædibus) exorsus est, ut de illo quidam cecinerit: *Roma domus fiet. Veios migrate Quirites, si non et Veios occupet ista domus.* Quid, his monstris facias, quibus tantum nocitura, imo tot mala placuere?

Tertio, vocantur stulti et insani; nec immerito. Nam imprimis id, quod super omnia amant facere, ita volunt facere ut diu facere non possint. Dum enim omnia simul expendunt et a se projiciunt, postea non habent amplius, quod expendant. *Quid autem stultius, inquit philosophus, quam quod libenter facias, curare ut diu facere non possis?* Quanto sapientiores his elephantibus, ut scribit Solinus alter dentium semper in ministerio est et alteri pareitur, ne assiduo percussu laberetur? Deinde, dum aliis prodesse volunt, sibi ipsis nocent, et veluti canales ex aqua quam ad alios deferunt, non nisi fæces peccatorum et inopiæ limum sibi reservant: *Qui autem sibi nequam, cui bonus?* Eccl. XIV. Denique, præter morem filiorum hujus sæculi, aliis sapiunt sibi vero minime; contra id Prov. IX. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris.*

IV. Prodigit animam et salutem suam. Incidit enim in iudicium Dei, ejus bona dissipavit et cui rationem reddere villicationis suæ debet, et pœnas dare. Primo, quod absque moderamine usus sit bonis Dei, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit, Sap. XI. Ad nos ipsos provoco. Nonne bestiis et pecoribus nostris certa in mensura pabulum præscribimus, et porrigi jubemus? Nonne si servi vel ancillæ equis vel bobus fœnum vel avenam ultra mensuram dent, protinus eis irascimur? Et hæc tamen pecora et jumenta nobis serviunt omnemque commoditatem præbent. Cur igitur non indignetur Deus prodigis, a quibus ipse nihil expectat commodi, qui ipsius bona adeo abliguriunt.

Secundo, quod absque iudicio et discretione dederit iis quibus dandum non erat; non dederit, quibus dandum erat. Pauperibus dandum erat, quod supererat: non scurris, mimis, etc. ab hoc ergo accusabitur. Audi S. Chrysos. ho. XLIX. in Matth. « Si orphanorum tutelam, inquit, procurandas haberes, illisque inedia periclitan-

tibus, tu illorum rebus lautissime viveres, mille profecto homines accusatores haberes et a legibus statuta supplicia non evaderes; cum autem divitias Christi receperis, non tu putas frustra eas consumendo, pœnas te aliquando daturum?» Quid evenit epuloni, qui mensæ suæ reliquias canibus potius adjicere, quam egenti Lazaro maluit? « Quid ad hoc respondebunt, inquit Hector Pintus, in Ezech. c. XVIII. qui divitias suas in res inanes profundunt et magnificentis apparatibus inaniter delectantur? Canes et accipitres alunt, pauperes et inopes nec in extrema inopia curant; induunt parietes pretiosis aulæis, et Christi pauperes nuditate deficiunt; cooperiunt lapides, qui nihil sentiunt, et carnes proximorum nuditatem suam sententium cooperire nolunt. In phaleris consumunt aurum, in collo ferunt torques, et in auribus inaures pendentes et pretiosa monilia, quibus possent captivos redimere, viduas indigentes alere, virgines pupillas dotare et miseris inopibus subvenire. Sunt qui conferant aliquando in aliquos opes suas illis non indigentes, non charitate et misericordia, sed vanitate et inani gloria ducti et repentino quodam, quasi vento, impetu animi concitati. Sunt similes fluminibus aquas suas in mare mitentibus, terras autem sitientes minime rigantibus. » Huc usque Pintus.

Tertio, quod multa, quæ in aliorum vel suum usum cedere poterant, malitiose, perdat, comminuat, abjiciat, effundat: similis bestię illi apud Dan. c. VII. cujus dentes erant ferrei, quæ aliqua quidem comedebat et comminebat, at reliqua (ne quos haberet prandii sui socios) pedibus suis conculebat. Qualem fuisse non immerito dixerit aliquis Augustinum Chiesium Romanum trapezitem, qui tale convivium Romæ exhibuit, in quo non solum omnis generis exquisitissima fercula et ad extremum linguæ psittacorum variis in patinis apponebantur, verum etiam vasa omnia escaria ex argento affabre facta, quoties escarum mutatio fieret, in præterfluentem Tiberim jactabantur, Hadrian. jun. animadvers. I. IV. c. VIII. Quis hujusmodi homines non peiores dicat ipsis basiliscis? Hi enim, ut scribit Ælianus, I. II. c. VII. dum in Africa pasti sunt e mulorum cadaveribus, sibilo dato recedunt et indicant serpentibus aliis, se jam pransos esse et quod superest cibi, ipsis relinquere. At isti quantumcumque bene pransi sint, nunquam sibilant pauperibus, ut et ipsi ad prandendum veniant, sed potius, ne prandere possint mergunt et comminuant ipsis quod superest.

Cogitate igitur, auditores, annon aliquando

cœlestis paterfamilias dicturus sit hujusmodi villico suo: *Quid hoc audio de te?* Quare faciat sibi unusquisque amicum judicem suum, cui post hanc vitam redditurus est rationem, ne una cum avaro amandetur in infernum.

CONCIO III.

BONA DEI QUINAM DISSIPENT.

I. Bona animi: 1. Supernaturalia. 2. Scientia et ingenium. 3. Honor et existimatio. — II. Bona corporis: 1. Forma et pulchritudo. 2. Robur et valetudo. 3. Vita. — III. Bona fortunæ: 1. Dignitas et imperium. 2. Nobilitas. 3. Divitiæ. 4. Fruges terræ.

THEMA.

Hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. XVI.

Non dubito, auditores, si quis angelus Domini ad nos descendens diceret, unum aliquem e nobis esse dissipatorem honorum Dei, qui proinde brevi citandus sit ad iudicium, quin omnes trepidaremus. Ita enim apostoli, cum diceret illis Christus: *Unus vestrum tradet me,* (Matth. XXVI.) omnes consternati sunt et se mutuo intuebantur, quasi unusquisque seipsum haberet suspectum, dicentes: *Numquid ego?* Porro in hodierno evangelio non obscure indicat Dominus, reperiri tales homines, qui bona Dei dissipant. Merito ergo timemus omnes. Quid enim si ego, et iste, et ille, tales inveniamur? Quid faciemus, cum audierimus intonantem Dominum: *Redde rationem villicationis tuæ?* Quare inspiciat in tempore unusquisque rationes suas et examinet seipsum, an sit ipse talis, qualem videmus in evangelio citatum ad tribunal et depositum ab officio; ne idem aliquando contingat etiam ipsi.

I. Tria bonorum genera sunt, quæ accepti homo a Deo: animi, corporis et fortunæ. Ad bona animi pertinent. Primo, supernaturalia, uti gratia. Hanc profecto dissipant, qui peccando a se expellunt. Insana prodigalitas fuit illius Cleopatras, Ægypti reginæ, quæ ex fastu et insolentia ingentem et pretiosissimum unionem (pretio centum sestertium) ab aure detractum et aceto maceratum, uno bolo absorpsit, uti scribit Plinius, I. IX. c. XXXV. Sed nihil hoc ad prodigalitem peccatoris, qui uno peccati gustu gratiam, ornamentum animæ suæ et pretium regni cœlestis dissipat et absorbet. Quis tanto dissipatori non maxime irascatur? Sane cum Cleopatra alteri etiam unioni manum injecisset, ut eam